8404 Nr18
Lane Medical Library

DE FONTICULO.

ADJECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. MARTII A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Robertus Steudner
SILESIUS.

Opponentibus:

E. PFOTENHAUER, med. et chir. Dr.
M. WOLFF, med. et chir. Dd.
E. WOLFF, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

HENR. BRUN. SCHINDLER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO, MEDICAE LIPSIENSIS SOCIETATIS SODALI,

FAUTORI ATQUE AMICO

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum animum ad scribendam dissertationem inauguralem adverterem, omnino diutius haesitavi, quamnam rem eligerem et aliqua ex parte pro viribus dilucidarem, materiesque electa omnino difficilior mihi visa est, non propter rerum inopiam, de quibus aliquid componere possem, sed propter abundantiam. Tamen non potui, quin fonticulum mihi desumerem, cujus ope morbum infra descriptum sanatum vidi, qui mihi memoratu dignus apparuit, quamvis alia medicamenta adhibita omnino non parvi habenda sint. A lectoribus autem benevolis veniam atque indulgentiam peto, quod hoc meum tirocinium, non magistri praeceptorisve opus, in medium protulerim, quod vix novi aliquid continet.

DEFINITIO FONTICULI.

Fonticulum nominamus ulcus artificiale; ulcus autem est superficies membrana pus secernente obtecta, quod de Walther contendit, quo modo bene ab abscessu, qui a nonnullis ulcus simplex etiam vocatur, distingui potest et impeditur, quo minus cum vulnere cicatrisante, quod pus quoque secernit, sed non membrana quadam propria obtectum est, confundatur. Nullo modo respici hic potest, quomodo illa superficies, ut ita dicam, ulcerosa orta sit, sed modo cogitandum, ulcus ortum esse arte et studio medici in usum therapeuticum.

HISTORIA FONTICULI.

Quis hujus remedii inventor, aut quo tempore primo cognitum sit, non facile dici posse puto. Etenim ejus usus non est novus, sed perantiquus, et antiquitas primos inventores obscuravit. Hippocrates (456—366 a. Chr. n.), qui primus medicinam scripsit, non ipse tantum crebro in curandis plurimis morbis ferro candente usus est et hoc remedium valde laudat, ita ut (Aphorism. VI. Sect. 8.) dicat: »Quae-

»cunque non sanant medicamenta, ea ferrum sa»nat; quae ferrum non sanat, ea ignis sanat; quae »vero ignis non sanat, ea insanabilia existimare »oportet.« Sed et antiquum tunc et aliis usitatum remedium fuisse non obscure declaravit(1). Exempla alia sunt in libris de morbis(2): docet, in suppuratis et hydropicis ustionem adhibendam esse et sectionem penetrantem, ut confertim totum pus et aqua per eam tanquam epistomium exhauriatur, quod unico vulnere perficitur; etiam praescribit ustiones pluribus crustis dorso et pectori inducendas, quas superficiales esse oportet, et ad nullum alium finem dirigi, quam ad successivam puris per eas jam in ulcus commutatas et tanquam fonticulos longo tempore apertos permanentes, evacuationem.

Aulus Cornelius Celsus, qui sub Nerone (20. p. Chr. n.) vixit et Aretaeus Cappadox (81. p. Chr. n.) certe sunt antiquiores, qui candentis ferri in morbis curandis meminerunt. Sic Celsus (3) ubi loquitur de illo

(1) Hippocratis Coi, de aëre, aquis et locis liber. ed. Petersen. Hamburg 1833.

(2) Hippocratis opera omnia graece et latine. 2. Voll. Lugd. 1665. de morbis lib. III. c. 27. lib. II. c. 51.

(3) Aul. Cornel. Celsi de medicina libri octo. Leipzig 1766 lib. III. c. 22.

morbo, quem Graeci vocant φθίσιν et qui phthisis pulmonalis est: »Exulcerandus, inquit, est »ferro candenti uno loco sub mento, altero in »gutture, duobus ad mammam utramque, item »sub imis ossibus scapularum, quas ὠμοπλάτας »Graeci vocant, sic ne sanescere ulcera »sinamus, nisi tussi finita: cui per se quoque »medendum esse, manifestum est.« Alius locus apud Celsum (1) de morbo loquentem comitiali: »Quod ad medicinam — — — ferro can»dente in occipitio quoque et infra, qua summa »vertebra cum capite committitur, adurere duo»bus locis, ut per ea perniciosus humor evadat.« Humor evadens jam nobis significat, longius per temporis spatium suppuret locus ustus necesse esse. Alio loco (2), cum docuisset multos modos ustionis verticis, venarum temporum, jubet loca diu aperta teneri, curarique ut ulcus non impleatur, quia, inquit, siccescere non debet. Idem (3) contra capitis dolorem, spasmum cynicum, spasmos cervicis (emprosthotonum, opisthotonum et tetanum) suadet ea loca cauterio ul-

---

(1) l. c. lib. III. c. 23.
(2) l. c. lib. VII. c. 7.
(3) l. c. lib. IV. c. 2. et c. 3.

cerari. Morbos et oculorum et aurium et coxarum ferro candenti sanandos esse jubet (1).

Etsi Galenus (131—193 p. Chr. n.) nusquam aperte, quod scio, scripsit, sese ustionibus uti ad faciendum ulcus, tamen verisimile non est, eundem hunc usum ignorasse, qui aliis, qui non post (e. g. Antyllus 340 p. Chr. n., Rufus, Possidonius) verum ante illum (ut Asclepiades 100 a. Chr. n., Dioscorides 54. p. Chr. n., Archigenes 97 p. Chr. n.) fuerunt, cognitus fuit; et quorum ipse scripta legit et excerpsit. Sic Dioscorides pro ictibus venenatis jubet cauteria diu aperta teneri, ut ad multum tempus sordes prorogentur et materia virulenta effluat (2).

Caelius Aurelianus (223 p. Chr. n.), Aëtius, qui sub Constantino Magno (543 p. Chr. n.) floruit, et ipsius coaevus, Paulus Aegineta, (636 p. Chr. n.) plurima de cauteriis perscripserunt.

Sic dicit Caelius Aurelianus (3), antiquos consuevisse concertare de ustione hepatis fa-

---

(1) l. c. lib. VII. c. 7 et 8., lib. IV. c. 22.

(2) Th. Fieni de cauteriis libri quinque. Lovan. 1598. lib. I. c. 13.

(3) Cael. Aureliani de morbis acutis et chronicis libri octo. Amstelod. 1709. lib. III. c. 4.

cienda et ulcera diu aperta tenere, ut materia expurgaretur; facitque mentionem consuetudinis, hydropicos urendi et ulcera diu aperta tenendi, ut sanies efflueret. Idem (1) narrat, Themisonem jussisse, phthisicis ulcera foris inuri, quae diu aperta manerent, ut materia foras evocaretur, et lib. I. c. 4. dicit, Themisonem et Praxagoram in epilepsia caput ussisse. — Aëtius (2) et Aegineta (3) empyicis multas crustas super dorsum et pectus inusserunt, nulli alii fini, quam ut per eas in ulcus conversas longo tempore pus evacuaretur. Aegineta etiam in defluxu humorum ad oculos et thoracem caput superne uri et crusta lapsa os attenuari suadet, ut servato diu ulcere humores illinc perspiratu dissipentur et evacuentur (4). Idem sic fieri dicit pro defluxione stomachi, pro ictibus venenatis, pro articularium curatione affectuum (5). Aëtius refert ex Archigene et Antyllo modos urendi ischiadicos et addit, post

(1) l. c. lib. II. c. 14.

(2) Aëtii de cognoscendis et curandis morbis sermones sex. Basil. 1533. serm. 4. tetrab. 2. sect. 57.

(3) P. Aeginetae opus divinum. Basil. 1532. lib. VI. c. 44.

(4) Aegineta l. c. libr. VI. c. 2.

(5) l. c. lib. VI. c. 49., lib. V. c. 3., lib. III. c. 24.

crustam pyogenetica apponi debere et locum diu apertum servari; etiam ex Rufi et Possidonii sententia ustionem in morsu canis rabidi praescribens, docet post ustionem ad quadraginta vel sexaginta dies vulnus a cicatrice arcere (1).

Nec minus, quam apud Graecos et Romanos, medici Arabici ferrum candens ad fonticulos efficiendos et morbos sanandos adhibuerunt. Avicenna, Rhazes, Damascenus, Alyabbas secundum Fienum (2) vulnera venenata ferro candenti urebant et diu aperta tenebant. Albucasis, postquam pro hydrope plurima cauteria ventri imposuit, addit rationem, ut emittat pus longiore tempore et paulo post ut resudet aliquid aquae. Avicenna contra tumorem lienis cauteria multa inurit, sed imperat, ut cauteria diu aperta teneantur.

Praeter ferrum candens, quo veteres saepissime ad fonticulos efficiendos usi sunt, etiam cauterium potentiale et sinapismos cognoverunt. Sic e. g. cuprum sulphuricum et arsenici praeparata Dioscoridi non ignota erant, quae ad usum

(1) Aëtius l. c. serm. 4. tetrab. 3. c. 3.
(2) l. c. lib. I. c. 13.

externum commendat. Arabes etiam his medicaminibus utebantur, imo lapis infernalis iis notus fuisse videtur. Abu-Mussah-Dschaffar al Sofi, vulgo Geber nominatus, hydrargyri muriatici corrosivi et hydrargyri praecipitati rubri mentionem facit (1). — Celsus (2): »Illa, in»quit, in omni vetusto capitis dolore communia »sunt: — — — — et imposito sinapi exulce»rare ea, quae male habent.« Sequentia ejusdem auctoris verba ostendere mihi videntur etiam setaceum ei cognitum fuisse, quamquam eo ad alium finem usus est. Dicit enim in capite de fistulis (3): »In has demisso specillo, »ad ultimum ejus caput incidi cutis debet: dein »novo foramine specillum educi lino sequente, »quod in ejus aliam partem, ob id ipsum per»foratam conjectum sit. Ibi linum prehenden»dum vinciendumque cum altero capite est, ut »laxe cutem, quae super fistulam est, teneat. »Idque linum debet esse crudum, et duplex tri»plexve, sic tortum ut unitas facta sit. — Tan-

---

(1) Cf. Rust Handbuch der Chirurgie. Berlin 1831. Bd. IV. S. 343.

(2) l. c. lib. IV. c. 2.

(3) l. c. lib. VII. c. 4.

»tummodo id linum bis die, salvo nodo ducen-
»dum est sic, ut subeat fistulam pars, quae su-
»perior fuerit. Neque committendum est, ut id
»linum putrescat: sed tertio quoque die nodus
»resolvendus est, et ad caput alterum recens
»linum alligandum, eductoque vetere, id in fistula
»cum simili nodo relinquendum.«

Sed haec, ex quibus satis elucet, fonticulos veteribus non ignotos, imo magni momenti fuisse, sufficiant. Transeamus ad medii et recentioris aevi scriptores.

Sub finem saeculi XV. Paracelso vivente atque alchymia florente, cauteria potentialia magis quam actualia viguerunt, quamquam viri celeberrimi ut Paraeus (1), Fabricius ab Aquapendente (2), Spigelius, Scultetus, Glandorpius, Marcus Aurelius Severinus, Kaempferus summis viribus haec defenderunt et Thomas Fienus (3) imo de cauteriis scripsit opusculum, quod hisce verbis in-

---

(1) Ambrosii Paraei opera chirurgica. Francof. 1594. lib. VIII. c. 13. etc. etc.

(2) Fabricius ab Aquapendente Wundarznei. Deutsch von Scultetus mit viel. Abbild. Nürnb. 1681. Buch I. c. 3 und 4. etc. etc.

(3) l. c. lib. I. c. 1.

cipit: »Hunc de cauteriis librum feci et in lu- »cem dedi propter tres causas. — — — —. »Tertia causa est, quod de hoc tam necessario, »tam periculoso praesidio nullus tamen perfe- »ctam tradiderit scientiam, quod est causa, ut »hodie tam pauci medici in doctrina cauteriorum »sint versati. Nam ut taceam, quod paucissimi »sint, qui in universali cauteriorum natura et »applicandi modo sunt instructi, quam multi ho- »die nostrorum medicorum sunt, qui tota vita »sua nulli unquam cauterium inusserint!« — Tantus imo fuit horror cauterii actualis, ut abiret in odium. Sic dixit Dionis, chirurgus gallicus, cum discipulis suis nonnulla ferramenta ostendebat: »tantum ut horrorem excitem, non »vero ut usum laudem, ea ostendo.« Annis 1755 et 1790 academia Parisiensis praemia de ratione usus atque effectus ignis obtulit, quae auctoris Percy opusculum: la pyrotechnie chirurgicale, accepit. Quo ex tempore usus candentis ferri per Galliam vulgatus est, praecipue auctoribus Aulagnier, Marquand, Imbert, Delonnes, Morel, Valentin, Gondret. — Jam prius, anno 1760, Pouteau ad usum moxarum instaurandum vehementer disputavit, quas

quoque Larrey, Percy, Laurent, Jourdan, novissimis temporibus Sarlandière et alii valde laudabant (1).

In Germania primus Illustrissimus Rust ferri candentis dignitatem restituit atque maxime meritus est de certa usus ratione.

RATIO, QUA EFFICIENDUS SIT FONTICULUS.

Primum locus, in quo fonticulus est efficiendus, varius datur, nam aut electorius aut necessarius vocari potest. Electorius enim est, si medici non multum interest, ubinam fiat fonticulus, quare aegroto jucundissimum atque minimam molestiam inferentem locum eligere licet; necessarius vero morbi ratione et loco imperatur. In electoriis habemus brachium sub insertione musculi deltoidei, nucham, suram, sub glutaeo in clunibus, praecipue autem priorem in brachio maxime sinistro, quia minimum laborantibus infert incommodum. Necessaria fere omnia loca apparere possunt, quae propter indolem fonticulum admittunt.

(1) Cf. Rust Handbuch der Chirurgie Bd. XVI. Art. Ulcus artificiale; Bd. IV. Art. Cauterium. — Blasius Lehrbuch der Akiurgie. Halle 1835. S. 99.

Dein varia est ratio, qua primum vulnus, ex quo posthac ulcus fiat, efficere potest medicus.

Primo habemus cultrum, quo simplicissimo modo cutem panniculumque adiposum plaga longitudinali incidimus vulnusque efficimus.

Alia autem ratione etiam medico incisionem facere licet, nam ubi posthac ulcus fistulosum (setaceum) efficere studet, inciditur cutis ita, ut aliqua pars adhuc cutis obtegat vulnus, quem in finem multa instrumenta a chirurgis sunt laudata et acus et cultri, etiam forcipes fenestratae, ad cutem tenendam, quae autem fere omnia supervacanea videntur, quum omni cultro ancipite liceat vulnus efficere.

Tum medici utuntur cauterio actuali, quo vulnus ustum ferro ad albedinem candefacto efficiunt. Huc maxime quoque referendus moxarum usus, qui a Japoniae Sibiriaeque incolis ad nos migravit, quarumque materies etiam diversissima est. In utroque cauterio juxta locum urendum lintea humida ponit medicus, ne regio amplior violetur igni, sed magis effectus coërceatur.

Deinde etiam in usum vocaverunt chirurgi cauteria potentialia, ut lapidem causticum chi-

rurgorum, lapidem infernalem, butyrum antimonii, hydrargyrum muriaticum corrosivum, arsenicum album etc., quorum praeparatorum sicca, in fenestra alicujus emplastri posita, aqua humefacta et alio emplastro obtecta jam sine alia cautela effectum praebent, quod in butyro antimonii ne necessarium quidem apparet. Huc mihi quoque usus unguenti tartari stibiati primo ab Illustrissimo Autenriethio commendati videtur referendus, nec non solutionis tartari stibiati, ut tartari stibiati ipsius sicci. Nec minus memoratu dignum est unguentum hydrargyri praecipitati albi, a Kopp valde laudatum, cujus egregios effectus in policlinico medico-chirurgico, sub auspiciis Celeberrimi Truestedt florente, satis saepe observavi.

Alii quoque elegerunt acria, et vegetabilia, inter quae maxime Cortex Mezerei (et a Daphne Mezereo et Gnidio), quemadmodum Euphorbium aliaque Euphorbiacearum praeparata notanda sunt; et animalia, ubi summum locum Emplastrum Cantharidum tenet, quamvis etiam similia in Meloë et aliis habeamus.

Ratio, qua, quominus vulnus quovis modo

effectum natura medicatrice iterum sanetur, impedimus, etiam variat.

Hunc in scopum medici primum corpora aliena in usum vocaverunt, quae autem corpora etiam variam indolem prae se ferunt, nam aut pisa simplicia sunt, quae gemmatione, humore vulneris effecta, irritant, itaque cicatrisationem impediunt, aut pisa, emplastro aut unguento aliquo irritante, ut Cantharidum, Sabinae etc., oblita in vulnere ponimus, aut corpora aliena per se jam irritantia, ut globulos ex cortice Mezerei aut ligno Quassiae, aut resina, aliave substantia in vulnus ingerimus, aut denique setaceo, varia ex materie facto (linteo, bombyce, capillis, lana) et in dies promoto, vulnus in ulcus, hoc in casu fistulosum, mutamus. Alio modo, vulnus quominus sanetur, prohibemus potiusque ut in ulcus commutetur, efficimus emplastris irritantibus, inter quae Emplastrum Cantharidum perpetuum summum locum tenet, aut unguentis, quorum permulta inter formulas medicas inveniuntur, usitatissima autem sunt unguentum Cantharidum et Sabinae; tincturis etiam irritantibus pulveribusque utimur in hunc scopum.

USUS FONTICULI.

Fonticulus est indicatus, ubicunque medicus sanguinem ab alio loco ad alium vertere conatur. — De contraindicatione, quam multi proferunt, summa corporis debilitate, proprie sermo non esse potest, uti fere de omni contraindicatione; nam indicationi ipsi corpus omni parte exhaustum nullo modo satisfaciet, quia vis reagens naturae minor est, quam quae sanguinis congestionem ad alium locum producere possit.

Singulorum morborum, quibus medici fonticulo mederi student, ut vix omnes referre possim, tanta est copia. In febribus magnus ulceris artificialis usus omnino non est, maxime quum systema totum sanguiferum laesum fonticuli efficiendi laesione magis adhuc offenderetur; sed omnino in febribus nervosis, maxime ubi magna ad caput aliudve organon vitale sanguinis fit congestio, fonticulum in usum vocamus; idque interdum magno cum fructu, nam non solum sanguini aliam viam praebemus, sed etiam totum corpus irritamus.

Majorem et frequentiorem usum ulcus artificiale habet in inflammationibus, iisque magis subacutis et chronicis, quam acutissimis; in his

enim effectus fonticuli tardior est, quam qui prodesse possit, quamvis in pneumonia et pleuritide vix eum negligimus, praecipue ubi originem ex refrigerio inflammationes duxerunt. Sed omnino in illis inflammationibus chronicis, ubi congestio ad organon quoddam perdurat, maximi momenti est fonticulus. Si enim medico fonticulo posito contigit, ut congestiones a loco interno, cujus integritas ad vitam servandam necessaria est, ad cutem verteret, aegrotum omnino servavit, saltem vitam jucundiorem, si minoris dignitatis organon affectum erat, reddidit, quamvis non parvam fonticulus molestiam laboranti afferat. Huc fonticuli usus in articulorum, oculorum aliisque morbis referendus. — Sed etiam in illis morbis prodest, qui quasi exitus inflammationis cujusdam habendi sunt, ut exsudatione, condensatione; resorptio enim adaugetur sanguinisque copia in loco affecto minuitur atque sanatio efficitur. — In phthisibus fonticulo suppurationem internam suppuratione externa coërcere itaque vitam servare studemus. — In morbis cordis et dynamicis et organicis fonticulus semper magnam praestat utilitatem, atque

interdum sanationem efficit (1). — In dyscrasiis autem summum praebent usum ulcera artificialia, his enim interdum contingit medico, ut dyscrasiam, quae jam altius penetravit corpus, ad cutem iterum eliciat, saltem autem ab organis majoris pretii arceat. Ita ubi Rhachitis aut Scrophulae aggressae sunt ossa qualiacunque, fonticulo interdum impedire possumus, quominus os omni ex parte perdatur, aut ubi Arthritis organon aliquod affecit, fonticulo amoveri potest. — Saepissime medicus summo cum fructu potest ulcus artificiale adhibere, ubi morbus localis in cute, impetigo aliqua, ulcus quoddam, exanthema aut ejusmodi morbus adfuit, aliqua re suppressus, internum quendam morbum provocavit. Si post non magnum temporis spatium ulcus artificiale ibi efficitur, priusquam degenerationes in organo nunc correpto factae sunt, fere semper morbus tollitur. — In Neuronusis eadem ratione adhibentur fonticuli, qua in aliis; in morbis psychicis autem non solum propter vim alli-

---

(1) Dundas: in Medicinisch-chirurgische Abhandlung einer Gesellschaft zu London. Uebersetzt v. Osann. No. 1. S. 53.

cientem, sed etiam propter dolorem in usum vocantur, praecipue in melancholicis et maniacis. —

Restat etiam sine omni locali labe referendus usus fonticuli in amenorrhoea ad suras, ubi ad genitalia medicus vult allicere, itaque catamenia efficere, aut fortassis arte ulcus catameniale provocare.

NOTAE.

Locus fonticuli, uti jam supra commemoravi, nunc necessarius est, nunc electorius. Necessarius est ubicunque prius malum locale iterum provocandum, ubi fonticulus appropinquatione effectum praebeat necesse est, denique ubi sanguinem ad partem aliquam alliciat. Jam veteres varia pro variis morbis loca inuri suadent. Sic Albucasis et Alyabbas secundum Fienum (1) in palpebris et superciliis ustiones fecerunt ad palpebrarum laxitatem exsiccandam et pilorum generationem impediendam. Galenus in angulo oculi ad aegilopem cauteria posuit. In naso, ad polypum exurendum Hippocrates, ad ozaenam Celsus (2). Post aurem et per aurem, pro tinnitu aurium, dolore oculorum et

(1) Fienus, l. c. lic. IV. c. 11.
(2) Celsus, l. c. lib. VII. c. 2.

dentium, urendum docuit Rhazes. »Sectorium sub mento, ad dentium dolorem, faciei spasmum, maculas, foedaque ulcera conferre« tradidit. Ad radicem gutturis contra asthma et vitia pulmonis asperaeque arteriae (tracheae), ut raucedinem et similia, poni testatur Albucasis et ad vertebras colli quoque pro eodem usu. Super scapulas contra humerorum et scapularum dolores, epilepsiam, hemicraniam fonticulos maxime probabant; etiam ad cordis pulmonisque affectus ibi ponebantur, sicut et in inguinibus, praecipue tempore pestis, ad venenosae materiae per ea loca derivationem. Super pectus et in dorso pluribus locis cauteria fiunt, ad extrahendas materias purulentas et serum in hydrope in ventris cavitate collectum; de quibus conferas Hippocratem, Galenum, Avicennam, Aeginetam, Celsum, Aëtium, Albucasem, Damascenum, alios (1).

In femore Placentini primus apud monachos fonticulum in interstitiis musculorum vasti interni et gracilis posuit, ne ulcus eos, flexis genubus Deum invocantes, turbet (2). In crure

(1) Fienus, l. c. lib. IV. c. II.
(2) Cf. Rust, Handb. des Chirurg. Bd. XVI. S. 705.

plerumque inter musculum gastrocnemium et soleum, vel inter musculi gastrocnemii capita, fonticulus construitur.

Caeteris in casibus locus non magni momenti est, aegroto minimam molestiam inferentem eligimus. Omnis autem locus vetatur, ubi magna est macies, nervi, ossa, vasa majora prope subjacent et periculum puris ad cavum quoddam descensuri adest.

Non omnino autem omnis efficiendi fonticuli ratio ejusdem pretii in variis morbis variisque hominibus est, et ad hoc haecce fere sunt notanda.

Cultro ubicunque fere possumus uti propter loci indolem, sed omnino vetatur, ubi dolor magnus et continuus simul est efficiendus, ubi in organis subjacentibus irritatione ulceris artificialis resorptio adaugenda videtur. Saepissime autem aegrotorum cultri horrore impedimur, quominus in usum vocemus, alioquin satis magnum non admodum dolorificum effectum praebet, quamvis etiam fortius setaceum agat. Hoc omnino bonum praebet effectum, sed vix adhiberi potest in hominibus junioribus, debilioribus et qui corporis cultui magnam dant operam; praeterea semper liber puris in loco eligendo effluxus re-

spiciendus est, qua de causa nunc vix nucha, si excipis oculorum morbos, in hominibus eligitur, sed magis ad medicinam veterinariam migravit. — Illustrissimus Wendt dicit, quo profundius ulcus artificiale, eo majorem intensioremque praebet effectum, qua de causa cultrum optimum ad efficiendum fonticulum habet.

Ferro candente si utitur medicus, jamjam efficiendi fonticuli ratione magnam vim in corpus exercet, magnam subsequentem inflammationem partium adjacentium, et suppurationem saepissime bonam provocat, attamen hoc forti medicamento non ubicunque uti licet. Saepe enim tam vehemens remedium non est necessarium, tum illud »jucunde sanare«, medicis omnino est respiciendum; dein os si tangitur, necroticum redditur, pariter ac aponeuroses. In cranio periculum subsequentis Encephalitidis, in thorace Pleuritidis, in abdomine Peritonitidis semper subest. Igitur maxime in locis adhibendum est, ubi magna copia musculorum est, ubi inflammatione regionis fortasse resorptionem adaugere studemus; itaque in Coxarthrocace maxime, minus in Gonarthrocace, quia tum semper inflammatio articuli magis est timenda. Veteres medici etiam in Hydrocephalo infantum adhibebant,

quod vix propter periculum vitae audemus. — In hoc etiam notandum est, dolores, nisi ferrum ad albedinem candet, tam vehementes esse, ut homo debilior vix perferre possit. Magis igitur ferrum candens in hominibus robustioribus, quorum reproductio satis viget, ne gangraena sit timenda, adhibendum est, et ubi satis profunde malum maxime locale haeret.

Moxarum usus, quamvis multo minorem caloris gradum exhibet, majorem et diutius perdurantem dolorem affert. Maxime laudatus est in paralysi, non solum congestiva, sed etiam ex debilitate. Adhibitae sunt moxae in tabe dorsali ad columnam vertebrarum, ubi interdum in funesto malo usum tulerunt, sanationemque adjuverunt. Magnam inflammationem et suppurationem provocant, et quo tardius comburuntur, eo intensius agunt in corpus; sed etiam earum usus nonnisi robustioribus hominibus aptus, et in infantibus, apud quos ferro candente uti licet, vix adhibebit medicus moxas.

Cauteria potentialia ad fonticulum applicandum adhibita non ejusdem pretii et indolis omnino sunt; sed magnam subsequentis suppurationis differentiam prae se ferunt. Nonnulla tantum

afferam: Lapis infernalis (Argentum nitricum fusum) statim comburit superficiem, in qua positus est, sed majorem ambitum non amplectitur, superficialem suppurationem ad cicatrisationem vergentem praebet; qua de causa vix in usum vocabitur. — Lapis causticus chirurgorum penitius agit, etiam majorem regionem, quam in qua positus erat, occupat, et suppurationem magis ichorosam praebet, qua de causa etiam rarius adhibetur. — Omnino cauteria potentialia ad efficiendum fonticulum minoris sunt momenti, neque in usum vocanda, nisi reliquae methodi vetentur; aut ubi prius pseudorganisationem quandam delere et tum ulcus artificiale efficere studet medicus, ubi omnino in usum vocanda.

Ulcera Tartaro stibiato ejusque praeparatis effecta adhibent medici: ubi homo tam juvenis est, ut Emplastrum Cantharidum non ferat; ubi sensim sensimque exanthema, idque maxime pustulosum, evanuit, aliusque morbus apparuit; ubi dolor magnus, durans est efficiendus, in morbis igitur psychicis; praeterea maxime ab Illustrissimo Autenriethio in tussi convulsiva sunt laudata. Facile autem simul provocant simile exanthema ad genitalia, et si diutius adhibetur

nnguentum tartari stibiati, pustulae fiunt gangraenosae.

Inter acria vegetabilia maxime Cortex Mezerei notandus, qui aut recens aut aceto madefactus adhiberi potest. Propriam vim non in corpus exercet, neque propter parvos dolores eligendus est, sed tantummodo, ubi aegroti cultrum quam maxime timent, et emplastri Cantharidum usum non ferunt. Alia acria rarius in usum vocata non admodum bonam efficiunt suppurationem, sed potius superficies ad sphacelum vergit, quod maxime usum vetat.

Usitatissima autem methodus est, emplastro Cantharidum epidermidem solvendi, et tum ulcus efficiendi; omnino satis bona. Dolores non nimii, suppuratio subsequens satis bona, cultri usus non necessarius, effectus satis magnus medicum invitant, ut hac semper methodo utatur; sed omnino respiciendum est, non tam profunde et vehementer agere, quam alia, v. c. cauteria actualia; emplastrum Cantharidum dein ab hominibus junioribus propter mingendi difficultatem subsequentem, ischuriam, stranguriam, dysuriam et haematuriam non perferri; deinde in puellis praesertim ad nucham applicatum maculas lon-

gius temporis spatium durantes relinquere. — Igitur non adhibenda haec methodus est, ubi celer, vehemens, fortis effectus est necessarius, ubi morbi systematis uropoëtici aut sexualis, ubi Idiosyncrasiae etc. alia multa adsunt.

CURA FONTICULI.

Ut impediamus, quominus vulnus quavis methodo effectum sanescat, imo ut in ulcus illud commutemus, variis illis rebus uti possumus supra commemoratis, pro vulneris indole, quamvis hisce temporibus tincturae et pulveres vix in usum vocantur. — Si igitur non satis multum pus ulcus secernit, tum sisera cum emplastro Cantharidum, aut globulos ex Cortice Mezerei imponimus. Si caro luxurians fit, tum Lapide infernali delemus, si inflammatio major est, epithematibus frigidis coërcemus. Totum ulcus secundum artis praecepta curamus.

Sed etiam interdum fit, ut massam ichorosam in magna totius corporis labe secernat ulcus, tum omnino quam celerrime claudendum, nisi contingit, ut suppurationem bonam efficiamus aptis medicamentis, quia tum timendum est, ne colliquationi ulcus artificiale ansam praebeat. Aliis in casibus autem nullo modo medicus sup-

purationem vulneris satis largam efficere potest; hic omnino morbus internus, propter quem fonticulus est positus, sanguinisque ad locum affectum congestio major est, quam quae vincatur ulcere artificiali; hoc in casu, fortissimis vulneris irritamentis frustra adhibitis, ulcus artificiale, quia usum praestare non potest, tamen magnam semper molestiam aegroto infert, claudendum; aliaque methodo ad aegrotum curandum medicus utatur.

Adhuc nonnulla de sanatione ulceris artificialis longius temporis spatium jam durantis afferam necesse est.

Nonnulli medici jusserunt, omne ulcus artificiale sine damno aegroti, si longius duraverit, sanari non posse, morbum ulcere sanatum reverti post cicatrisationem dixerunt. Huic sententiae consentire omnino non possum. Si enim in homine fonticulus est positus, priusquam pubes apparuit, propter quodlibet malum, idque et medicamentis internis et totius evolutione corporis ablatum est, non video, cur non sanari possit, quum amplius fonticuli indicatio non adsit. — Etiam in viro et femina iisdem sub conditionibus medico sanare fonticulum licebit.

Provectiore aetate autem maxima providentia est necessaria, nam haec sanguinis fluxus non bene fert. Semper tamen bene distinguendum erit, num morbus, propter quem fonticulus erat positus, omni ex parte sanatus sit, an lateat tantum, quod satis difficile est. Etiam non subito, si menses et annos jam duraverit fonticulus, erit claudendus, quia tum ulcus vetus est habendum; sed sensim sensimque cura ulceris perficienda est.

HISTORIA MORBI.

H. S. mulier annorum sexaginta duorum, puella, quantum indicare potuit, semper bona erat gavisa valetudine. Anno decimo sexto primum catamenia fluxere, ex quo tempore regularia fuerunt. Anno aetatis vigesimo tertio viro nupsit, pauloque post concepit, et puerulum edidit partu satis difficili. Ex illo tempore hernia inguinali laboravit. Gravida non amplius evasit. Nunquam libidini se dedit. Ex illo partu autem saepius alvi obstructione, capitis et artuum dolore laborare incepit saepiusque spasmis hystericis vexata est. Anno aetatis quadragesimo octavo sensim menses cessaverunt; ex quo tempore alvi obstructio in dies adaucta est, ita ut vix qua-

ternis diebus alvum deponeret, quamvis digestio appetitusque ciborum fere integri viderentur. Dolores illi interdum rediere atque visus feminae in dies hebetior, somnus non turbatus erat. Saepius femina usa erat pilulis alvum ducentibus, quae aloën continuisse videntur.

Qaum auxilium peteret, hicce morbi status observabatur. Dolores capitis magni in regione frontali, alvus constipata, sapor depravatus, appetitus minutus, somnus non inquietus. Oculorum autem gravis morbus. Visus enim tam debilis, ut vix per viginti graduum distantiam cernere posset hominem. Pupilla, praecipue oculi sinistri, viridis, multum dilatata, neque magnopere in lucem reagens, oculus dexter minus erat affectus, quamvis etiam hujus acies justo longe debilior esset.

Huncce morbum esse Glaucoma incipiens, omnino credidi; nam signa fere semper Glaucoma comitantia fere omnia adfuerunt, quae Arthritidi congrua sunt: dolores illi capitis aegrotam maxime vexantes, digestioque laesa. — Quum prius femina lavare consuevisset, domicilio humido uteretur, saepissime alvi obstructione laboraret, provectior esset aetate mensibusque

jam defecta, post mariti mortem satis molestam et aegram vitam degeret, Arthritidem ortam esse non miror. Etiam quum sueret oculosque saepius intenderet, oculos tanto morbo esse affectos, non difficile explicatu est.

Prognosin in hoc morbo satis dubiam habui, quum perquam raro medico contingat, ut degenerationem organicam, quae hoc in casu jam facta videbatur, ex Arthritide semoveat. Praeterea quum malum jam diutius perduravisset, prognosis magis dubia est reddita.

Quod attinet ad curam internam, primo alvi obstructio et digestionis mala esse amovenda censui. Primo adhibui Extractum Aloës, quod autem propter consuetudinem, fortasse etiam ob magnas doses prius sumtas, nullum plane praebuit effectum, quamvis ejus ex usu molestiae etiam non sint adauctae. Medicamentum igitur est sepositum, atque aegrota posthac pro morbi ratione Extracto Graminis, Foliis Sennae, Stipitibus Dulcamarae, Radice Rhei, Sapone medicato et Resina Guajaci usa est, quorum medicaminum ultimum optimum praebuit effectum; alvi excretiones regulares redditae, dolores autem capitis ejus usu valde minuti.

Praeterea in brachio sinistro in loco sueto duorum siserum cultri auxilio fonticulus est effectus. Duobus diebus elapsis totum brachium inflammatum valde tumuit, doluitque, in fonticuli regione maxime inflammata apparuerunt parvae vesiculae, quae primo humorem album, post duos autem dies pus flavum continebant. Paulo post autem ruptae crustas cinereas micantes relinquebant. — Vesicularum illarum numerus earumque in crustas mutatio sensim tantopere augebatur, ut, quum confluerent simul, tota, quae circa fonticulum erat, regio per duorum pollicum amplitudinem obtegeretur firma cinerea inaequali crusta, quae interdum pus inodorum flavum spissum emittebat, quod tanta erat acrimonia praeditum, ut quaevis pars aegrotae eo oblita post non multas horas jam illas vesiculas, quas crustae iterum excipiebant, ostenderet. Crustae simillimae erant iis, quae in Rupia obveniunt, non firmiter adhaerebant, sineque magna aegrotae molestia auferri poterant, ubi tota superficies illo pure flavo spisso obtecta apparuit. Omni pure ab illa superficie semoto, intense rubra, mollis, splendens cutis, quae nunc humorem aquosum secernebat, paulo post illas vesiculas iterum ostende-

bat. Praeterea, ubicunque exanthema apparuerat, aegrota de pruritu summo querelas fecit. Sensim exanthema non solum brachium, sed etiam totam sinistram corporis partem occupabat, medicamenta externa caute adhibita nullum plane usum afferebant, sed post quatuor menses internis illis medicaminibus supra commemoratis exanthema coarctatum. Crustae in dies altiores erant atque quamvis minima tantum parte adhuc inhaererent cuti, tamen sine damno amoveri non poterant, nam in loco, ex quo erant crustae allatae, statim iterum vesiculae apparebant. Quum hoc modo iterum duo menses essent elapsi, nonnullisque crustis in brachio exceptis, exanthematis nihil amplius restaret, aegrota cecidit, atque in facie, brachio dextro, circa genu passim cutem vulneravit. Statim omnibus in his locis iterum illud exanthema apparebat, iterumque per tres menses durabat, post quos ubicunque sana cutis nil nisi pruritum mediocrem ostendebat. Ad hunc plane tollendum balnea ex Kali sulphurato sunt adhibita circiter triginta, quae morbum omni ex parte amoverunt. Intra anni spatium exanthema illud sanatum erat, oculorum acies restituta, nam aegrota non solum parvas res bene

discernere poterat, sed etiam illa pupillae sinistrae commutatio morbosa evanuerat; digestio laesa erat restituta, dolores capitis perquam raro redibant.

Sed in hoc casu omnino non ausim fonticulum sanare, primo quia aegrota jam provectior aetate est, tum quia Arthritis, in illo exanthemate satis clara, haud dubie nondum plane sanata est.

VITA.

Natus ego sum Joannes Ernestus Robertus Steudner, evangelicae confessioni addictus, die decimo tertio m. Julii a. MDCCCX. Greiffenbergae, oppidulo Silesiae inferioris, parentibus dilectissimis, patre Friderico, matre Sousette e gente Tancré, quam proh dolor! morte praematura mihi ereptam lugeo. Anno post mortem matris elapso pater meus sororem beatae in matrimonium duxit. Primis litterarum elementis domi instructus anno MDCCCXXII. inter discipulos gymnasii Hirschbergensis a Koerbero t. t. directore receptus, per novem fere annos egregia institutione gavisus sum. Examine superato et maturitatis testimonio impetrato, universitatem adii Vratislaviensem et a. MDCCCXXXI. ab Ill. Huschke, t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus nomen apud Decanum Ill. Wendt professus sum, ut in artis medicae studium incumberem. Ibi per duos annos et dimidium hisce interfui lectionibus:

Exc. Barkow osteologiam, syndesmologiam et angiologiam mihi illustravit; Ill. Benedict chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, fascias et instrumenta chirurgica rite applicanda et operationes in cadaveribus instituendas me edocuit, examinum de gravioribus chirurgiae capitibus ut particeps essem concessit, et in exercitationibus clinico-chirurgicis dux mihi fuit. Ill. Betschler artem obstetriciam et theoreticam et practicam mihi explicavit. Ill. Fischer chemiam theoreticam et organicam; Ill. Glocker mineralogiam docentes audivi. Ill. Gravenhorst in zoologia; Ill. Henschel in botanice practica, phytotomia et historia rei medicae; Ill. Klose in encyclopaedia medica praeceptores mihi fuerunt. Ill. Otto anatomiam corporis humani, anatomiam comparatam et pathologicam, artemque cadavera rite dissecandi, sectiones forenses et historiam foetus mihi demonstravit. Ill. Purkinje de physiologia corporis humani experimentis illustrata, de pa-

thologia generali; Ill. Remer de therapia generali et speciali, docentes audivi. Exercitationibus medico-clinicis per semestre interfui. Ill. Steffens physicen; Ill. Thilo logicen mihi exposuerunt. Ill. Wendt de materia medica, morbis syphiliticis iisque ex laesa nutritione ortis legentem audivi.

Quinque semestribus elapsis universitatem Vratislaviensem reliqui, deinceps per tres et dimidium annum domi commorari coactus, studia artis medicae in hac alma litterarum academia persecutus sum. A. MDCCCXXXVII. ab Ill. Boeckh, t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus, nomen apud t. t. facultatis medicae Decanum Ill. Wagner professus sum et abhinc praeceptores mihi fuerunt:

Cel. Kluge in arte obstetricia et theoretica et practica; Ill. Schultz in materia medica et arte formulas medicas rite concinnandi. Praeterea interfui clinico medico viri Cel. Wolff ter, ophthalmiatrico Ill. Juengken bis, chirurgico Ill. Rust bis, policlinico chirurgico-medico Cel. Truestedt bis; praeterea clinicis virorum Ill. et Cel. de Graefe, Kluge, Wagner.

Omnibus hisce praeceptoribus aestumatissimis optime de me meritis gratias ago quam maximas, semperque Eorum memoriam grato animo servabo.

Tentaminibus et philosophico et medicis atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores, dissertatione thesibusque publice defensis, in me conferantur.

THESES.

1. Decubitus est morbus internus.
2. Icterus non est morbus, sed morbi symptoma.
3. Quo simplicius medicamen, eo certior experientia.
4. Trichoma crisin aliorum morborum, non autem morbum peculiarem habeo.
5. Medicamina prophylaxis causa adhibita nocent.
6. In cura delirii trementis venaesectionibus non nisi cautissime utendum est.